



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. De Olfactu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Rursum: quia ideo esset huiusmodi qualitas, quia nisi esset successivus, non posset successivè produci, nec desinere contra experientiam; & nisi esset aliquantulum permanens idem sonus quando primo auditur deberet desinere, & sic non posset postea audiri à remotioribus; sed ex conclusione habetur quod non sit idem ipse sonus realis formaliter loquendo & propriè, qui auditur postea, sed alius omnino distinctus. Dixi autem, *secundum easdem partes reales & formales*, quia posset dici esse idem sonus æquivalenter & moraliter, sicut dicitur idem fluvius esse hodie & heri; & in hoc sensu etiam posset dici quod sonus habeat aliquam permanentiam moralem.

43. Sequitur tertius species soni non produci successivè ab eodem sono, ita scilicet, ut prius producat species in vna parte medij; & postea in altera parte: nam cum idem ipse non sit postea, non potest producere species: itaque omnes species quas potest producere idem sonus, æquæ cito illas producit per totam suam spheram, & consequenter etiam æquæ cito auditur in tota illa sphaera, neque quoad hoc est aliqua differentia inter species visibiles & audibiles, quamvis possit esse differentia quantum ad hoc, quod visibilia possint transfundere species ad longiorem distantiam quam audibilia; & hinc oritur quod color aut lux existens in aliquo loco possit videri in alio loco, in quo sonus quantumvis magnus, excitatus in eodem loco in quo essent isti colores, non posset audiri.

44. Sequitur quarto, rationem cur lux etiam successivè producta simul cum sono, citius multo videatur in aliqua distantia quam audiatur sonus, quia scilicet per totam illam distantiam potest transfundere species, sonus vero cum ipsa productus non potest alius autem sonus, qui postea auditur in illa distantia producit post lucem; unde non potest audiri æquæ cito, ac lux videtur.

45. Sequitur quinto, echo fieri mediante progressu soni, & reflexione specierum ab ipso causatarum ob oppositum obstaculum, estque verisimile quod ipse etiam sonus aliquando reflectatur, præsertim quado sunt variae specierum reflexiones. Propterea autem audiuntur vitæ voces, & non omnes per hanc reflexionem, quia quando reflectebantur primæ voces, audiebantur ultimæ voces per species directas, his autem per illas species auditis, non est impedimentum aliquod quominus eadem iterum per illas species reflexas audiantur.

Sequitur sexto, sonum produci in aëre, tanquam in subiecto, neque enim alia corpora, quæ ad productionem soni concurrunt, moventur localiter ad tantum spatij, ad quantum sonus extenditur & multiplicatur: ergo debet necessario produci in aëre.

CONCLUSIO VI.

46. Non solum aër, sed etiam aqua est medium aptum ad recipiendas species soni. Hæc est communis contra *Hurtadum hic*.

Probat: quia experientia constat pisces sonos in aëre apud nos excitatos audire, nosque pariter motus sub aquis ab iis editos, & fragorem lapidum sub aquis se mutuo collidentium audire. Dicere autem quod hoc accidat ratione aëris in poris aquæ inclusi, est diuinare absque fundamento.

Confirmatur: quia nihil impedit, quo minus aqua sit subiectum sufficiens ad recipiendum speciem soni; & quemadmodum species coloris non solum per aërem, sed per vitrum deferretur, non est vllum inconueniens, quin similiter species soni per aërem, & aqua deferri possint. Nec refert quod Philosophus dicat medium, in quo fieri debet sonus, esse aërem; nam loquitur de medio magis accommodato, & per quod communis deferretur.

CONCLUSIO VLTIMA.

47. Tria corpora realiter distincta requiruntur ad productionem soni, quæ tamen non debent esse semper discontinua. Hæc est communis, & *probat*: quia si aliquando non requirerentur, maxime, quando excitaretur sonus percutiendo aërem virga, hoc enim exemplo vtuntur aduersarij ad probandum oppositum: sed tum concurrunt tria realiter distincta, nempe virga, & duæ partes aëris,

quæ diuiduntur. Et ex hoc ipso probatur secunda pars, nam illæ duæ partes aëris, quæ cum virga concurrunt, continuantur inter se. Quod vero aliquando etiam concurrant tria corpora realiter discontinua, patet quando excitatur per collisionem duorum lapidum, v.g. tum enim illi duo lapides, & aër concurrunt, quæ omnia inter se non solum distincta, sed discontinua sunt.

QVÆSTIO III.

De olfactu.

IN interiori parte nasi reperiuntur duæ carunculae similes extremitatibus mammillarum, quas propterea carunculas mammillares appellant, seu processus mammillarum; præterea sunt ibi rami nervorum, quos vocant membranam narium. Hoc supposito, aliqui putant sensorium olfactus esse ventriculos, seu sinus anteriores cerebri, à quibus deriuantur prædictæ partes reperiæ intra nasum. Alij putant illud sensorium esse nervos descendentes à cerebro. Communiter vero tenetur carunculas mammillares esse sensorium odoratus.

CONCLUSIO I.

48. Probabilius est carunculas mammillares esse sensorium olfactus. Hæc, ut dixi, est communis cum *Philosopho 2. de anima text. 10.*

Probat: quia nihil aliud conuenientius assignari potest.

Confirmatur primo, contra primam sententiam: quia sicut ceteri sensus externi habent suum sensorium in parte aliqua inclusa in toto organo deferuiente ad sensationem; ita etiam de olfactu dicendum est: ergo non debet collocari in vlla parte cerebri.

Confirmatur secundo, contra secundam sententiam: quia nervi illi extenduntur ad exteriores partes nasi, in quibus non sentimus odores; & quia quemadmodum visus, & auditus non habent sensorium in nervis precedentibus à cerebro, ita nec olfactus in illis collocari debet, præsertim cum nulla sit ratio, quæ ad id vergeat, vel experientia.

49. Obiicies primo: cerebrum recreatur odoribus: ergo est organum olfactus.

Respondet negando consequentiam, quia non recreatur per odores percipiendo ipsos, sed quatenus ipsi habent, vel secundum se, vel secundum qualitates concomitantes conuenientiam aliquam physicam cum cerebro.

Obiicies secundo: secundum *Philosophum* nares sunt organum odoratus.

Respondet ipsum non intelligendum de organo, in quo immediate fit olfactus, sed de instrumento, per quod deferretur odor ad sensorium: vel certe capit nares pro integro naso quatenus constituitur ex omnibus partibus interioribus, & exterioribus, & sic potest vocari organum olfactus, sicut oculus organum visus, quamvis non in omni parte ipsius fiat olfactio immediate, sed in mammillis, sicut non in omni parte oculi fit visio, sed in pupilla, aut aliqua alia parte eius.

CONCLUSIO II.

50. Odor est obiectum proprium adequatum olfactui, & optime describitur esse qualitas perceptibilis à solo sensu olfactui. Hæc est communis, & solum negari potest quoad secundam partem, ab illis, qui eum putant esse substantiam.

Probat autem prima pars: quia omnis odor potest percipi ab olfactu, & nihil aliud potest olfactus percipere præter odorem, quod non possit ab aliis sensibus percipi: ergo. Dixi autem, quod non possit percipi ab aliis sensibus, quia sensibile commune aliquod potest percipi ab odoratu, quod non est odor, at illud potest ab aliis sensibus percipi.

Probat secunda pars: quia per illam descriptionem potest distingui ab aliis sensibilibus: à propriis quidem, per hoc quod percipiatur ab odoratu, à communibus vero per hoc quod à solo odoratu sit perceptibilis. Quod

Vuu autem

Carunculae
mammillares
sunt
sensorium
olfactus

Sonus non
producit
species
sui prius
in vno lo-
co & pos-
tea in
alio.

Cur lux
citius vi-
deatur
quam so-
nus au-
diatur.

Quomo-
do fit
echo.

Sonus
produci-
tur in aë-
re tanquam
in subie-
cto.

Aqua etiam
recipit
species
soni.

Tria cor-
pora rea-
liter di-
stincta re-
quiruntur
ad sonum.

Odor est
obiectum
adequatum
olfactus.
Eius des-
criptio.

autem sit qualitas patet, tum quia obiectum cuiusvis alterius sensus externi est qualitas, tum quia nulla alia substantia est per se sensibilis: nec dici debet absque ratione evidenti quod obiectum huius sensus sit substantia, aut quod hæc sola substantia sit sensibilis; tum quia quando magna Ecclesia repletur odore ex vnguento aliquo aut fumo odorifero vel electo, non est verisimile substantiam aliquam per totam Ecclesiam produci.

51. *Dices*: non debere totam repleti substantia odorifera, quia sufficit illam substantiam esse in parte Ecclesiae, unde emittat species intentionales.

Contra, quia ablata illa substantia odorifera, v. g. electo, adhuc maneret odor: ergo odor ille non causatur à speciebus intentionibus, quia hæc nequeunt esse absente obiecto.

Dices secundo: posse manere odorem in eo casu, quia licet auferretur substantia principalis odorifera, manerent tamen exhalationes odoriferae ab ipsa, per aërem transfusæ.

Contra: quia non est verisimile quod tot exhalationes à corpore odorifero emittantur absque notabili extenuatione ipsius, quot essent necessariæ ut tantus odor maneret, eo ablato, in tot locis in quibus poni posset.

52. *Obicitur*: Philosophus 1. de sens. & sensib. c. 1. ait odorem esse vaporem; sed vapor est substantia: ergo & odor.

Respondetur, cum intelligendum de odoris subiecto, qui aliquando potest esse vapor.

Confirmatur hæc explicatio: quia negat c. 5. eiusdem libri odorem esse vaporem: ergo quando dixit quod esset vapor, non loquebatur in eodem sensu in quo negabat eum esse vaporem, sed in alio sensu, quando autem negat eum esse vaporem, hoc intelligendum est in sensu formali, propter fundamenta Conclusionis, & consequenter quando asserit eum esse vaporem, intelligendus est non in sensu formali, sed in alio aliquo.

CONCLUSIO III.

53. *Odor est qualitas secunda non productiva alterius odoris sibi similis, deferreturque per medium aërem aut aquam aliquando realiter, aliquando solum intentionaliter.* Hæc quoad primam partem est omnium, & probatur: quia alias aliquod ex elementis, in quibus primæ qualitates sunt diuersæ, esset odoriferum, contra experientiam.

Secunda pars est communis contra *Arriagam* & probatur: quia nulla alia qualitas sensibilis secunda est actiua sui similis: ergo nec odor debet dici sic actiua, nisi constet aliqua ratione particulari, quod sit sic actiua; id autem non constat: ergo.

Confirmatur: quia si esset aliqua ratio, ob quam deberet illa actiuitas odoribus attribui, maxime esset experientia, quam proponit *Arriaga* de electo relincente odorem in manibus & vase, in quo conseruatur tam tenaciter, ut etiam si lauentur, remaneat. Sed hæc experientia non sufficit: ergo.

Probatur minor: quia ille odor non potest esse qualitas producta in manu, sed exhalatio adherens ipsi; quia si esset talis qualitas, non desineret successu temporis absque qualitatis contrariæ productione, aut mutatione aliqua facta ex parte subiecti, quæcumque enim qualitas potest manere in subiecto naturaliter per aliquod tempus, deberet in ipso manere semper, nisi mutetur subiectum aliquo modo, vel intrinsecè vel extrinsecè, ut patet ex principio vulgari: idem manens idem semper facit idem. Quod intelligi debet de causa naturaliter agente. Quod autem remaneat odor lautis manibus, oritur ex nimis firma adhesionem exhalationum odoriferarum, non ex alio capite.

Tertia pars est communior, contra eundem putantem non deferri odorem intentionaliter per vllum medium.

Probatur autem: quia sæpe aër, qui est medium per quod deferitur odor, retinet odorem ablato obiecto odorifero principali: sed hoc non potest fieri nisi deferretur realiter per medium: neque enim species intentionales externæ manere possunt absque suo obiecto.

Deinde non est verisimile quod odores deferantur realiter ad tantam distantiam ad quam percipiuntur à

vulturibus, qui ad multa millia absentes cadauerum mortuorum sentiunt odores: ergo per aliquam partem istius medij deferuntur intentionaliter tantum. Quod autem deferantur per aërem tanquam medium, ex eadem experientia constat, & non minus constat quod deferantur per aquam, experientia piscium accedentium ad ripam fluminis quando afferuntur cibi grati, quos nec dum vident.

Aduertendum autem, quod quando dictum est, odores deferri per medium realiter, id intelligi debeat sic, ut non producat in medio qualitas odorifera, sicut vult *Arriaga*; sed quod exhalationes odoriferae exeant à corpore odorifero per medium.

54. *Dices*, si odores diffunderentur per medium mediantibus exhalationibus huiusmodi, deberet extenuari corpus odoriferum post exitum plurimarum exhalationum: sed hoc est contra experientiam.

Respondetur, negando minorem, nam quamuis non tam cito appareat extenuatio, tamen reuera accidit aliqua iuxta proportionem exhalationum, & naturam corporis.

Obicitur contra tertiam partem: si odores deferrentur per medium intentionaliter, sentirentur ut distantes: sed hoc est falsum.

Respondetur negando minorem, in casu enim quo deferuntur per species solummodo, sentiuntur ut distantes, licet imperfectiori forte modo, quam sentitur sonus ut absens, sicut sonus minus perfecte sentitur ut distans, quam color.

55. *Quæritur* hic, an sensus odoratus sit perfectior in brutis, quam in hominibus, & id quæri posset de aliis sensibus. Ratio autem dubitandi est, quia pro parte affirmatiua facit illud vulgare Carmen,

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,

Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

& præterea authoritas Philosophi 2. de anima c. 9.

Pro altera vero parte facit, quod anima in hominibus sit perfectior quam in brutis, & quod consequenter videatur exigere perfectiores potentias sensitivas.

Circa hanc difficultatem aliqui putant potentias sensitivas omnes esse simpliciter perfectiores in hominibus, sed aliquas tamen esse secundum quid perfectiores in aliquibus brutis, quatenus scilicet ad longiorem distantiam & maiori cum facilitate possunt operari, & iuxta hoc intelligunt prædictum Carmen & Philosophum.

Ego tamen existimo, sicut conceditur potentiis brutorum maior perfectio quantum ad percipiendum obiectum in maiori distantia, & minori cum difficultate: ita etiam concedi ipsis posse maiorem perfectionem simpliciter in ratione potentia sensitiva, modo non consideretur id, quod materialiter dicunt potentia sensitiva, nimirum esse potentiam exigentem animam talem vel talem; quod addo, quia si sic considerarentur, absque dubio potentia sensitiva humanæ deberent esse perfectiores, quia exigunt perfectiorem animam, cui etiam in nostra sententia ex parte identificantur. Itaque in hac controversia abstrahendum est ab illa consideratione & solum consideranda sunt potentia in ordine ad actus & obiecta, & etiam ipsæ actus non debet considerari ut actus natus subiectari in tali subiecto, sed solum considerari debet ut perceptio talis obiecti, abstrahendo ab aliis rationibus in ipso inclusis. Sic autem si res consideretur, potius dicendum est, quod excedant potentia aliquorum brutorum potentias sensitivas humanas: nec est vilo modo necessarium quod homo, quamvis sit perfectior brutis, & habeat animam perfectiorem, habeat etiam omnes facultates perfectiores; sed sufficit quod habeat plures, aut vnam excedentem cæteras facultates in quibus exceditur.

Quæritur secundo, ex qua mixtione primarum qualitatum resultat odor.

56. *Respondetur* solet communiter cum Philosopho de sensu, & sensibili cap. 5. quod ex mixtione in qua sicum vincit humidum, & calor dominatur: idque colligitur experientia, quia odorifera parum spirant odoris in frigore, quod procedit ex defectu dominantis caloris: deinde quando

Ex qua mixtione primarum qualitatum resultat odor.

Odor est qualitas secunda non productiva alterius similis.

Odor deferretur intentionaliter per medium.

quando nimis humida sunt, aut organum ipsum nimia distillatione humescit, vix percipiuntur ob defectum prævalentis siccitatis.

Quando autem opponitur alia experientia, quod idem cibus sit quandoque boni odoris & saporis, sapor autem non minus requirit dominium humiditatis, quam odor siccitatis, nec possit fieri, ut in eodem cibo utraque qualitas dominetur.

Responsio melior adhiberi solita est quod idem cibus sit sapidus & boni odoris, non secundum easdem partes, propter obiectionem, sed secundum diuersas. Hæc est communis doctrina.

Ego tamen puto rem esse incertam, & potius inclinor ad existimandum quod odores omnes non exigant prædominium siccitatis in omni corpore, & quod aliqua humida possint esse odorifera sicut aliqua sicca. Mouet ad hoc, tum prædicta experientia de cibo, cui non satisfit per recursum ad diuersas partes: tum quia illa diuersitas partium non apparetur quia quamuis adellet, reuera, nulla pars esse potest, quæ non sit aut possit esse humida: tum etiam quia odores extremi, hoc est maxime oppositi non videntur exigere posse prædominium eiusdem qualitatis; sed potius vnus deberet exigere prædominiū vnus v. g. humiditatis, & alter alterius oppositæ v. g. siccitatis: & quod dico de siccitate, intelligi potest etiam de calore seruata proportionem.

57. *Ad experientiam autem, quibus communiter sententia innititur, responderi potest ad primam, defectum spirandi odoris in frigore non oriri necessario, ex eo, quod diminuat calor corporis odoriferi: cuius signum esse potest, quod si introduceretur in locum frigidum subito non spiraret odorem tantum quantum alias, sed ex eo potius quod aer frigidus non tam facile admittat exhalationes odoriferas. Posset etiam contingere, ut corpus tantum spiraret tum odoris, quantum alias, sed quod organum frigidum non esset tam dispositum ad illos percipiendos: hinc autem non sequitur vlla ratione quod odor ipse exigat prædominium caloris.*

Ad secundam experientiam dico imprimis, impedimentum ortum ex humiditate organi non facere ad rem, quia inde non sequitur quin odor posset provenire ex humiditate aliquando sicut ex siccitate; sed solum sequitur quod humiditas tolleretur dispositionem requisitam ex parte organi, dispositio autem requisita ex parte organi, non debet esse dispositio requisita ad productionem obiecti, quod ab organo sentiri debet. Alterum etiam impedimentum ex parte humiditatis obiecti, quod magis facit ad rem, non concludit, quia posset provenire non ex eo, quod requireretur siccitas ad odorem, sed quod humiditas impediret egressum exhalationum.

Deinde illa experientia licet quandoque habeatur de aliquibus odoribus, non tamen de omnibus, imo opposita videtur haberi in cibo sapido & odorifero.

Ad authoritatem Philosophi, qui ea mouetur, responderi poterit, eum loqui ut plurimum, non vniuersaliter.

QVÆSTIO IV.

De Gustu, & Tactu.

58. *Lingua, quam instrumentum esse gustandi experientia docet, ex duabus potissimum partibus consistit, nempe ex duobus nervis derivatis à cerebro per mediam linguam, hinc atque inde in utraque parte alios minores, instar ramusculorum, nervos à se extendentibus ad utramque linguæ partem, & ex carne rara spongiosa ac porosa: unde difficultas est, in quam ex his partibus consistat sensorium gustus.*

CONCLUSIO I.

Sensorium gustus sunt nervi prædicti. Hæc est communis cum Philosopho hic l. 2. text. 100. & probatur magis authoritate, quam ratione vlla; quantum enim ad rationem attinet, tam posset sensorium illud collocari in carne, quam in nervis: imo fortassis potius in carne, quia illi nervi non magis requiri debent ad gustum, quam alij ner-

ui correspondentes requirantur ad auditum, & visum: sed nervi correspondentes istis aliis potentiis non sunt sensorium illarum, sed requiruntur ad hoc, ut per eos transmittantur species ab illis potentiis ad potentias internas, & ut à cerebro descendant spiritus animales: ergo similiter posset dici de nervis linguæ. Sed quia non est necesse ut omnes potentie habeant convenientiam in sensorio, & quia etiam est aliqua disparitas inter nervos linguæ, & nervos auditus, ac visus, quia nervi linguæ intra ipsam linguam reperiuntur, alij autem isti nervi non includuntur intra oculum, aut aurem, licet pertingant ad ipsa, propterea tenenda est Conclusio. Posset etiam fieri quod sensorium huius potentie sit non solum nervi illi, sed etiam caro, propter similitudinem quam habet hæc potentia cum tactiva, cuius sensorium non solum in nervis, sed in carne reperitur diffusum.

CONCLUSIO II.

59. *Sapor, qui est obiectum adequatum Gustui, bene describitur esse qualitas percipibilis à gustu: ex quoniam autem temperamento primarum qualitatum oritur omnino incertum est, quantum communiter dicatur resultare ex mixtione, quæ calor, & humiditas vincunt. Hæc est quoad primam partem communis, & quoad utramque partem patet ex dictis de odore, de quo ac de sapore, quantum ad hanc resolutionem, eadem prorsus est ratio.*

CONCLUSIO III.

60. *Organum Tactus non solum diffunditur per nervos per totum corpus extensum undequaque, sed etiam per carnem. Hæc est Suarez hic cap. 7. Aversa qu. 54. sect. 13. Arriaga, & aliorum plurimorum, contra Complutenses disp. 14. n. 72. plures alios pro se citantes.*

Probatur autem experientia qua constat sentire nos tam bene in carne, quam in nervis: ergo cum nulla ratio probet oppositum, debet dici quod in utroque fiat sensatio, & consequenter, quod utrumque sit sensorium tactus.

Probari etiam solet authoritate Philosophi 1. de historia animalium cap. 4. & 2. de partibus animalium cap. 1. ubi dicit carnem esse sensorium tactus: sed si caro sit sensorium eius, non dubium quin etiam nervi sentiant: ergo utrumque erit sensorium.

Verum, quandoquidem hic l. 2. text. 116. dicat carnem non esse sensorium, propterea existimo eum fuisse dubium de hac re, atque aliunde, quam ex eius authoritate utramque sententiam confirmari debere.

61. *Obijcies primo, authoritatem Scotti q. 2. de anima, ubi nervos solos videtur proponere tanquam sensorium tactus.*

Respondeo eum ita sensisse probabiliter cum Philosopho. Obijcies secundo, organum tactus debet esse continuum cum organo sensus communis, qui est in cerebro, sed caro non est sic continua: ergo caro non est organum tactus.

Confirmatur 1 quia alias tactus haberet plura organa distinctæ rationis. Sed hoc est inconueniens: ergo.

Respondeo negando minorem, caro enim continuatur cum nervis, & hi cum sensu communi, & ita caro mediate continuatur cum sensu communi, quod sufficit.

Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: diuersæ rationis materialiter, concedo maiorem: formaliter & in esse potentie tactivæ, nego maiorem, & similiter distincta minore negatur consequentia.

62. *Obijcies tertio ex Complutensibus: sensibile supra sensum positum impedit sensationem; sed obiectum tactus debet poni supra carnem, ut sentiat: ergo caro non est sensorium tactus.*

Confirmatur: quia organum tactus debet esse terreum, caro autem non est terrea, sed ærea; ergo.

Respondeo, quidquid sit de maiori, quam negavi supra, quatenus extenditur ad omnes sensus, & præsertim ad sensum gustus, ac tactus; sed quidquid inquam sit de hoc, Respondeo negando consequentiam, quia solum sequitur quod caro illa supra quam immediate ponitur tangibile, non percipiat illud, non vero sequitur quod alia caro vicina non percipiat ipsum. Et argumentum retorqueri potest, quia si incideretur caro, & tangeretur immediate nervus, non est dubium, quin sentiretur illud

V u u 2 quod

Sensorium
gustus sit
nervi in
lingua re-
peri.

Sapori
deteri-
pio.

Organum
tactus dif-
funditur
per carnem
& nervos;